



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XV. Quid detractio sit, quotuplex. & quàm grave peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Fuit quidem Brictius, homo magni iudicii, celeris ingenii, sed & calis moribus; Deus tamen irrisoribus illius impunitatem non concessit: poenam ultra triginta tres annos distulit, tandem criminis poena debebatur. Evolutis tot annis, tandem irrisoribus poenas repetiit Deus. Brictius quamvis infons, accusatus est stupri. Nihil hic veris actum, nulla excusatio admissa, vite etiam periculum imminerebat; demum eiectus est in exilium, quod ille septennio toto toleravit. Hic forsitan Brictius contra Deum queri, & dicere: Domine, quare hæc iustitia est? nonne me scis innocentem esse? cur meam sic opprimi pateris innocentiam? me sic infamem fieri cur toleras? At recordare fili, memineris, mi Bricti, quæ tu antistitem tuum Martinum tractaris, quibus eum contumeliis insultas, quam illum crebro irriseris: tu forsitan hæc oblitus es? non item Deus: jam exiguntur à te poenæ quæ ante annos triginta tres fuissent exigende. Ut notis, parata sunt derisoribus iudicia; & licet castigatio quandoque differatur, non tamen remittitur.

Idem nobis quibuscunque aliis evenit creberrimè, cum extra noxam sumus, & tamen velut noxi graviter punimur. Hic nos lamentari, cum Deo expostulare, cælo terræque injurias nostras queri, proclamare nos innocentes. Simus sanè, sed cur tantillum sapimus, ut memoriam non repetamus ea, quæ temere peccavimus, & nondum expiavimus? Quisquis igitur infons multatur, ita secum ratiocinetur. Ego si conscientiam meam interrogem, his certè noxis vacuus pronuntior, & hic quidem mihi vis infertur, atque supplicium de me sumitur infonte: at Deus tenacis est memorie, qui jam castigat, quod ante annos plurimos deliqui: an non ego simili nequitia in alterum efferebui, quam ab altero jam patior? Jam ergo nomen hoc expungo, vindictam in me pridem paratam diu distulit Deus, jam sentio manum vindicantis. Fatebor igitur jure me plecti, & hoc gratiam interpretabor, debitum mihi supplicium non differri ad aliud tribunal. Admitto patienter castigantis domini plagas & verbera. Scio, nec minimam quidem noxam à Deo impunitam dimitti; irrisoribus præsertim Deum esse infensissimum; parata iis iudicia non nescio.

Serò molunt Deorum molæ; tandem talis redditur farina, quale offunditur frumentum.

CAPVT XV.

Quid DETRACTIO sit, quod duplex, & quam grave peccatum.

ANNO millefimo sexcentesimo decimo septimo, in publicum datus est liber, hac omnino inscriptione: Liber equestris de arte equitandi, de equorum habentis, loris, retinaculis &c. O bone Deus quis non ingemiscat ad hunc librum? Ergo equis lupata, frenos, capitula, postomides, oreas ex arte facere, & equino ricui inferere novimus? Ergo equos quod volumus habentis flectimus, & linguam heu indomitam nullis retinaculis coercere possumus? nullum hic lupatum, postomis nulla satis compescere potest hanc effrenatam bestiam: hic oreas; hic freni, hic capitula sepiissime frustra sunt. Infrenis esse vult lingua, velut equus in pascuis. Ad rem omnino sanctus Jacobus: Si equus, inquit, frenos in ora mittimus ad consentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus; Linguam autem nullus hominum domare potest. Ea certè quæ obrectatorum est lingua, venenatissima, undequaque letale virus ejaculatur. Detractio ingens Orbis malum nunquam satis vel accusandum, vel deplorandum. Et de hoc dicere ingredimur. Nota rerum vocabula tam hic quam alibi retinemus: quam ea sint latina, parum laboramus. Atque hac quidem dissertatio, quid sit Detractio, quod duplex, & quam grave peccatum sit, explicabimus, cetera suo ordine dicturi.

Tom. I.

§. I.

Quid ergo est Detractio? Divus Thomas Aquinas Detractio sic eam depingit: *Detractio est denigratio aliene fame, nis defuit per verba occulta.* Nam verbis dupliciter quis lædi potest. Apertè & in os ledere, contumelia est; occultè & absente ferire, detractio est. Vox ipsa *Detrahere*, rem oculis subjicit; nam cum fama seu bona æstimatio adimittitur, dupliciter aut certè imminuitur, idem pæne fit ac si lavernio noctu tacito gressu ponè honestum civem insperpens, pallium illi subito abstrahat, eoque se involvat, & ita tenebris condar. Super hac eadem re, uti Palladius memorat, *Pallad. cap. 19. hist. n. 13.* interrogatus est Antonius Magnus, quidnam sit Detractio? At ille hoc responsi dedit: Est omnis sermo malus, quem non audeat quis præfente eo proferre, de quo loquitur. Ubi mens bona & Intentio recta est, duobus tantum modis de alterius peccato sermo misceri potest. 1. Cum res jam percrebuit in vulgus promulgata, & in sermone omnium cæpit esse. 2. Cum ei dicitur, qui peccantem castigare & juvare potest. Et ad hoc faciendum saepe etiam obstringimur, uti docet sanctus Thomas, ne ulcus occultatum putrescat. Joseph certè nec detractor fuit, nec proditor, cum accusaret fratres suos apud patrem crimine pessimo. Quando verò alterius grave & letale delictum nondum foras elatum (vix enim duo tresve illius conscii sunt) detegitur, & ab uno pluribus patet, unde illius, de quo hoc panditur, nomen ac fama læditur, præsertim, si is qui ejusmodi enuntiat, eo id animo faciat, ut absenti malè loquatur, tunc sanè grande & verè mortiferum delictum est; etiam si verissimum sit, quod hic de altero manifestum facit, etiam si suis id oculis viderit, aut suis ipse auribus audierit. Nam dum hæc talia iis indicat, quibus non essent indicanda, non corrector, sed proditor est.

Detractionis origo, aut superbia est, dum obrectator suam ostentat scientiam; aut est levitas animi, dum aliis studet placere, talia narrando, aut invidia est, dum aliena luera, sua damna reputat, felicibus aliorum successibus ægrelens; aut simulas est & alienatio, dum animam vindictæ appetentem satiare dõderat. Sed & alia hujus mali searigo est, longa maledicendi consuetudo: tunc enim non cogitantibus etiam elabatur noxium telum, elicitur sanguinem. Qui tam malo pravòque maledicendi habitu sunt corrupti, non malè responderim idem quod Zoilus, canis ille Rhetoricus, ut eum nominat *Ælianus*: Zoilus iste Polycratis fuit auditor, homo malè loquendi studiosissimus, qui stylum in Homerum etiam, Platonem, aliòsque strinxit. Et cum cum vir quidam eruditus interrogaret, quamobrem omnibus malè loqueretur? Quoniam, inquit, malè facere, cum velim, non possum. Hæc obrectatorum mens est, ut quibus re aut manu nocere non possunt, eos saltem lingua vel absentes feriant. Hinc beatus Thomas Aquinas: *Auferre alicui famam, inquit, valde grave est. & ideo Detractio per se loquendo, est peccatum mortale.* Verissimè Bernardus: *Detractio, ait, grave vitium est: detractio grave peccatum est: detractio grande crimen est.*

Detrahitur autem alicui, octo potissimum modis. 1. Cum quis orationis vanitatem adhibet, & aut falsum dicit, aut quippiã affingit, & mendaciunculis rem aspergit: quæ ratione geminatur delictum, sitque mendacium & detractio. 2. Cum quis latens ac tectum peccatum è latebris in lucem profert; omnia quidem quæ dicit, vera sunt, sed tamen dicenda non sunt. Hæc ratione alteri quis detrahit, non quia de veritate aliquid decerpit, sed quia de famâ. Hic plurimi gravissimè impingunt: Ergo, ajunt, ipsissimam veritatem palam facere non liceat? Non licet, mi Christiane, si id non possis nisi cum alterius detrimento. Nam et si hoc, quod dicis, sit verum, est tamen occultum; et si hic peccando conscientiam coram Deo læsis, famam tamen coram hominibus non perdidit.

Ggg 3

didit,

didit, quam tu lingua tua vel finimurum is vel ablatum: & cisi peccatum, quod pandis non adeo secretum sit, modò tamen publicum non sit; tu tamen detractorem agis, cum id saltem ignorantem patefacis, & sic alteri notam inuris. 3. Cum crimen seu verum seu falsum augetur & exaggeratur, quod pronissimè est, cum alterius vitia narrantur. 4. Cum narratur quid minimè malum, sed velut animum non bono factum, addunturque ejusce modi plerunque clausulæ: Fecit hoc quidem, sed non Dei causâ: raro tam pius est; humanum favorem amabit; videri vult; ut hominem noveritis, hypocrita est. 5. Cum nihil quidem affirmat de isto spargitur. Aut dubiè rem profert: fortasse talis & talis est iste; fidendum illi non censo; de sanctitate illius, vicini ejus nil norunt, nisi heri primùm inter sanctos numerari coeperit; Aut certe hunc ipsum laudat sed frigidissimè: de quo rectè Gellius: Turpius est, inquit, exigui atque frigide laudari, quam insectanter & graviter vituperari. Talia valde cavenda sunt, quia deteriora semper proniore assensu arripitur. 6. Ad eò subtilis est detractio, ut vel nutu quis infamari possit. Exempli gratiâ: Laudatur quis à probitate, à religione, à providentiâ. Est qui audiat & dicat: Ut video, non novisti hominem, me super eo interrogate, ego illum intus & in cute novi. Aut frontem ducit silentio, aut abnutat capite, aut solis oculis tale dar signum, unde facile colligatur, eum qui laudabatur, talem non esse, qualis laudando extollebatur. Fit quandoque ut detractor ore compresso manum duntaxat his terve inverteat, & plurimùm alteri detrahat: eo enim gestu significat, hominem, de quo sermo est, levem esse & in horas mutabilem. 7. Non solum signo nutuque, sed & ipso silentio detrahit quis de altero, cum de illius probitate morumque integritate quicquid silet, tunc maximè cum interrogatur, aut alter criminis arguitur. 8. Cum quis coram aliis ob admittas noxas jure reprehenditur, ille verò se reum negat & pernegat; quâ ratione in reprehensorem mendacii infamiam derivat. Et quamvis occultas ille noxas publicè fateri non cogatur, aliâ tamen ratione par est resistere, dicendo: proferri tantum dicta, non item probari; fortè audientem hac deceptum esse; non quidvis obvia credulitate arripendum. Hic priore illo modo longè tolerabilior.

§. II.

ATque his modis, subtile istud vitium Detractio rem suam facit, & ita quandoque vestem variat, ut internosci vix possit. Ingeniosa nimirum improbitas est, trabem in festuca, elephante in culice, Alpes & Pyrenæos saltus in verrucâ legit, & somniata sibi, alterius innectit vertici; ipsâque alieni pectoris virtutes, tam scitè improbis ac adulterinis coloribus decolorat, ut vitia arbitris. Subinde, qui detractus est alteri, sub initium sermonis, vultum ad omnem gravitatè & modestiam sermonis componit, oculos humi deiecit, gemitus edit, voce lentâ seriâque; per ambages & anfractus incipit nocituram seriem evolvere, tortuosâ circuitione venena jaculaturus: Doleo equidem, ait, quòd eò prolapsus sit hic homo; per me non permanisset palam quòd patravit, sed quia id summè constat, suus sit veritati locus, nec negari hoc potest, neque excusari: & ut facilius sit verbis fides, prius subinde laudat, quòd efficacius vituperet; claudit narrationem commiserationibus vestitam. Ita quòd majoris est auctoritatis ille, qui detrahit de alio, eò gravior & damnosior detractio, quia creditu facilius. Hac omnia Bernardus eleganter disserens: Sunt, inquit, species pestis hujus, dum alii quidem nude atque irreverenter, ut in buccam venerit, virus evomunt detractiois. Alii autem quodam simulata verecundia suo conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmixti alta suspiria, siquid, quâdam cum gravitate & tarditate,

Bern. serm.
24. in Cant.
circa med.

A vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi malitiam, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto credunt, ab his qui audiunt, corde invito & magis condolenti assensum, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alteram patefacta est res, veritatem negare non possum: dolens dico, revera ita est.

Eldras sacerdos anxie secum quariebat, qui Deus res humanas moderaretur? Sic anxio adfuit Angelus, & triplicem ei questionem posuit, quarum prima erat, quâ ratione ad trutinam examinandus sit ignis: Vade, inquit, pondera mihi pondus ignis. Sapientissimus profectò erit qui hoc poterit. Noxium detractoris sermonem, ignem esse urentissimū, affatim docet sacra pagina. Regius palatium: Quid apponatur tibi, ait, ad linguam dolosam? sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoris. Jacobus Apokolos: Et lingua, inquit, ignis est. Idem de homine impio Salomon affirmans; Et in labiis ejus, inquit, ignis ardebat. Et sane si ignis linguæque celeritatem & vires spectemus, utriusque non adimilis natura est: & velut ignis cum metastransit, & foras erumpit, huc illic noxio furore grassatur; ita lingua cum carceres suos effringit, & in apertum evolat, non sine strage edita in caveam suam revertitur. Ergo lingua ignis est. Hunc ignem aquâ lance ponderare maximè prudentiâ. Hinc quò quis prudentior, & in omni re circumspiciat, eò etiam in ponderandis verbis attentior est, uti optimè dixit Stracides: Verba prudentium statera ponderantur. En sapientium labra, velut geminæ lances sunt, quibus hic ignis appendatur. Sed quàm difficile hic libripendem agere, cum etiam stricturnæ & scintillæ hac trutinâ ad examinandâ. Scintillas hic voco tot nocumenta, quæ velut unica infer detractione. Neque enim uni tantum nocent, sed pluribus, domesticis, familiaribus, cognatis ejus cui detrahitur. Quoties ore incauto & malevolo elapsum est dictum igneum, quod non tantum illi obviat, quem perstrinxit, sed & conjugi, liberis, toti familiæ. Unica scintilla omnes illos aduflit, damnum senserunt universi. Et quis est, qui hac peritè satis ponderet? Asmodeus ille libidinum præles diabolus, ignem luxuriæ ad libram peritissimè revocat, uti Tobia res gestæ prodiderunt. At quis ille tam peritus artifex, qui omnes ex ore prorumpentes flammâs dependat? Quid ergo faciat sapiens? Audiatur, & verba in ore lucantia cœceat, quâdiu enim intra fauces continentur, ad rationem & intelligentiam appendi queunt: ubi se extra os effuderint, jam omnis revocandi libertas adempta est: volant irrevocabilia, volant, avolant. Sapienter hac de re Stracides. In ore fatuorum, inquit, cor illorum. & in corde sapientium, os illorum. Vir prudens os ad cor reducit, ibique, quidquid dicturus est, ponderat. Religiosissimè ad præstitit Domini Mater: Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

§. III.

Perique autem sic averfamur hoc pensatoris officium, ut Soidas cum fide dixerit: Hæc bonorum virorum morbus est, aliquid de quopiam probi loco commemorare, re, quod laudandum esset. Deus olim Moysi dixerat: Extirpam tuam, & percutit pulverem terræ, & sine ciniphe in universâ terrâ Egypti, erantque ciniphe, tam in hominibus, quam in jumentis. De his Stephanus Ednensis: Ciniphe, ait, autem macula parva, sed inquietâ, & acriter pungentia: ciniphe autem sunt sermones detractoris, erantque in hominibus & jumentis: in omni ordine, sexu, ætate, statu, inter opulentos & egenos, dominos ac servos hoc detractiois malum grassabitur. Et tri non blasphemus, sed pauci; imò vix ulli non detractores. Et quæso vos, attendite, eequandò nam tandem vel duo solum convenient collocuti, ut tamen eorum colloquio non

quid non interfert etiam absentes, sed invisi, qui tergum praeberent cogantur ferientibus, quorum mores sermonibus exagitantur. Vix ulli usquam circuli & congressus sunt, in quibus non aliqui absentium vapulent: modò hic, modò ille in colloquium vel absens trahitur, nec unquam ferè sine notâ & stigmate. Detractio tam commune ac pervulgatum, quam horribile ac exitiosum malum.

Christus liberalissimè promittens: *Vbi sunt duo, inquit, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Attende promissum: In nomine meo, non in diaboli, qui duorum, qui plurium medius est, ubi detractio est. Verissimè dixit S. Antiochus: *Verè irrequietum demonium est detractio.* Eà de re hortatus Salomon: *Remove à te, inquit, os pravum, & detrahentia labia sunt procul à te.* Si quidem detractio, magni est periculi, nocuenti majoris, curationis difficillimæ. Magni est, inquam, periculi, cum obrektor temerarium iudicium stringit in quovis. Sicut Intentione rectâ plurimos actus commendari, & optimos fieri, qui tamen tales esse non videantur; quia verò Intentio latet, facillimum est sinistram censere eam, quæ rectissima est. Ita Pharisei quòd Christus sabbato sanitatem ægris impertiretur, quòd publicanorum societatem non aspernaretur, quòd se tangi pateretur à male notâ hominibus, pessimè id interpretati, de Christi sanctissimis moribus nunquam non detraxerunt. At Majoris est nocuenti detractio: etenim famam rem tam charam, quam preciosam adimit. Hinc illa theologorum vox: *Peccatum detractiois gravius est furto.* Tantò enim peccatum majus est, quàm majore bono iniquè privatur. Longè damnosior fur est nominis, quam numerorum: quod Salomoni certum: Nam, *melius est, inquit, nomen bonum quam divitiæ multa.* Atqui jactura hæc famæ ingens quidem damnum est; sed gravius insuper nocet detractio, quæ velut trifidum telum, aut totmentum æneum triplici ferreâ glante fulminans, tres velut incursum uno enecat. In rem Bernardus testis: *Nunquid non viperæ est, inquit, lingua ista? ferocissima planè, quæ tam letaliter tres inscit statu uno. Nunquid non lancea est lingua ista? profecto acutissima, ut quæ tres penetrat ictu uno. Lingua eorum gladius acutus, gladius equidem anceps, imò triplex est lingua detractoris. Hoc illud Joabi imperatoris triplex spiculum est, quo Absalonem à quercu pendulum incurians confodit. Hoc triplici spiculo, & detractor & detractoris auditor, & is cui detrabitur, miserè confodiuntur, hoc tamen discrimine: ille in quem detractio incurrit, ferè omnium minime læditur, nec enim majus facere potest dispendium quàm famæ: sed detractor, & auditor detrimentum patiuntur animæ, & quidem maximum. Nam detractor sibi merè plurimum nocet, in cuius caput frequenter recidit lapis, quem in alium miserat. Dein nocet auditori, in cuius aures (ut Bernardus loquitur) venenum mortiferum infundit; nec pravæ solum opinionis, sed invidiæ quoque toxico subinde inficit auditorem: Hinc Artabanus: *Cum, inquit, unus esset cui iniuria fieret: at duo erant qui injuriæ facerent.* Demum nocet absenti detractor, quem ore petulanti traducit.*

Claudius Paradisus è monumentis Lotharingicis rem prorsus miram, ter miram commemorat in hunc modum. Virtutem & fortunam Lotharingicæ familiæ testantur hodièque avita gentis insignia, tres nimirum alies sagittâ transfixi. Origo rei hæc est. Laudatissimus ille heros Godefridus Bullionius dux Lotharingæ, Hierosolymorum urbem obsidens, in turrim Davidicam ejaculatus est telum, quo tres simul alies confixit:

— dederunt viam casisse, Deusve
quæri poterat: regii tamen fastigii prælagium fuisse, docuit eventus. Et hoc etiamnum tam in monetis, quàm insignibus stirpis Lotharingicæ videre est. Quisquis de aliquo detrabit, ignitum jaculum emittit, sed tres eò lædit ac configit; seipsum, auditorem, hostem: imò tripli-

cem committit eadem, cum triplex nobis sit vita: est imò occidit. enim una velut cælestis, divinæ gratiæ dono; altera corporis, ceteris animalibus communis; tertia civilis, famæ præsidio: in hanc triplicem vitam immanissimè sævit detractor, illam animi & gratiæ cælestem, in se suoque auditore extinguit; civilem istam in eo cui detrabit. Tanti nocuenti est detractio.

§. I V.

Sed est etiam, ut dixi, curationis difficillimæ. Perpicuè Si-
racides: *Homo, inquit, affluens in verbis improprie, in omnibus diebus suis non eruditur.* Et quis est qui se detractorem esse fateatur, dū reipsâ aliis detrabit? Hinc quia nos egrotare nescimus, nec morbum indicanti credimus; pharmaca omnia spernimus. Sed & ipsum etiam vulnus detractioe infictum, vix medicas manus admittit, & licet obligatum videatur, manet tamen plerumque fœda cicatrix. Alexandri Macedonis adulator dicere solebat: si quem hostem habes, conviciis illum audacter pectere; nam etsi vulnera curet, manet tamen cicatrix. Ita prædones: audacter, ajunt, prædandum est; etsi enim præda sit restituenda, nunquam tamen tota. Mirum enim quàm tenaciter inhæreat, quâ semel imbutus est animus, falsa opinio. Leni fulstro, pauculis verbis mala opinio de aliquo, velut clavus in asserem, adigitur. Visne hunc iterum extractum? vix ullâ vi hoc efficies: perverfam opinionem jam imbibit auditor; ægrè dimittet. Etsi tu centies dicas: hoc iratus dixi, illud inconsideratè protuli, istud me dicere compulsi invidia. Quidquid dixeris, aliis hæret prima opinio, quàm ut ea stirpis convelli possit. Contra serpentis ictus, est è serpente pulvis: contra scorpionis aculeum, est scorpionis oleum: contra rabidi canis morsum, sunt pili canum: at verò qui læsi sunt linguâ obrektoris, ab eadem difficulter, nec nisi imperfectè aut nunquam curabuntur, quam vis hæc ipsa lingua medelam illis debeat quibus malum hoc intulit. Sicut Achilles hasta Pelias eundem Telephum fœnavit quem sauciavit.

De hoc ipso detractiois nocumento disertissimus Chrysostomus: *Quæ enim, inquit, utilitas, cum avidus quidam & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens fratras carnes comedit, proximi carnem momordit: propterea & Paulus terruit dicens: Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Et ne forsitan sit qui admonitione hanc eludat, obducit hoc modo: Ne quis enim hoc mihi dicat, tunc detrabo quando falsa dico. Nam si vera loquens maledixeris, & hoc est crimen: etenim Phariseus ille publicano veridicus maledixit, sed tamen hoc ipsi nihil profuit. Dic enim mihi, publicanus non erat publicanus & peccator? Cuius, certum est quod erat publicanus, sed tamen quoniam ipsum vituperavit phariseus, abiit omnibus amissus. Vbi fratrem corrigere? lacryma, Deum ora, ex corde apprehensum admone, consule, exhortare: sic & Paulus sacrebat. Sed jucundum detrabere: imò jucundum non detrabere. Detrahens enim continenter anxius est, suspicatur & timer, penitentiam agit & linguâ suam mandit, timens & tremiscens ne forte alius enuntiarum verbum, magnum sibi periculum afferat, & superfluum & inutilem inimicitiam his, qui dixere, operetur. Sententiam concludit in hæc verba: *Fugiamus igitur dilecti, fugiamus detractioes, docti quod est totum Sathanicum barathrum insidiarum ejus hæc insessio.* Vt enim nostra negligamus, & graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit: imò verò non solum inest hoc malum, quod tunc rationem dahimus eorum quæ diximus, sed etiam quod peccata nostra sic graviora faciemus, omni nos excusatione privantes: acerbè enim aliena exquirens, in suis excessibus nullam unquam veniam nanciscetur. Eliminemus igitur omnem ex ore nostro detractioem, scientes quòd etsi cinerem comedamus, nulla nobis aspera vite hujus utilitas proderit, nisi detractioe abstineamus.

S. V.

Ruffin. A.
quil. num. 5.
Pelagius li-
bell. 10.
num. 97.

NArrat Ruffinus Aquileienſis, viros aliquot reli-
gioſos è cenobio miſſos, ut ad alios ſparſim per
eremum habitantes reſerent. Delati ad anachoretam
ſenem, benignè comiterque in hoſpitiū recepti ſunt.
Senex ut itineris ad ſe facti moleſtias mitigaret, ſtatuit
ſuos hoſpites, quàm optimè poſſet, habere, & quid-
quid domi reconditum eſſet, explicato ſinu largiri. Eſt
nimium etiam in paupertate quædam quaſi prodiga li-
beralitas, non tam rebus, quàm animo metienda. Hanc
religioſam munificentiam ſenex ille induit, ut exemplo
ſuo hoſpites verecundiam ponerent, & auferent libe-
re, quod non erubereſceret dare amor. Veſpere poſt cenu-
lam, ut purabatur, lauriſculam, & ſuſas preces, cubi-
tum dedit ſuos convivas ſenex, ipſe ſeorſum modicè
quieſcit. Hiſc hoſpites ſomni benevolentiam concilia-
turi, liberaliùs inter ſe garrire cœperunt, & : Videte,
ajunt, iſti eremita lauriùs cenant, quàm nos in monaſte-
riis. Audiit hæc ſenex, & doluit pro beneficiis rependi
calumnias; ſed tacuit. Manè, cum jam diluſceſceret, iter
pararunt hoſpites, ut ad alium eremitam irent. Abeun-
tibus ſenex hoc unum commendans: Salutate, inquit, ex
me obſecro, amiſſiſſimū mihi eremitam, & hoc unum il-
li dicite: Attende, & olus ne iriga. Fideliter, ut juſſi erant,
hoc illi alteri nuntiarunt. Intellexit alter quamprimum
quid ſibi vellet hoc monitum. Quare ſuos hoſpites men-
ſa quàm pauciſſimā excepit. Cenæ caput erat panis ari-
dus & ſal: hiſce acceſſit modicum acetī & olei: hæc omnis
ferculorum ſeries. Interim eodem aſſiduā precum &
pſalmorum recitatione fatigavit. Hæc ratione invitos
in tertium uſque diem detinuit, necdum miſſionem da-
turus. At illi hoſpitalitate tam rigidā jam ſaturi, latenter
noctū proſeſerunt. Itē, o boni, & in poſterum ſi quis
vobis gratiam fuerit gratificatus, ne illi calumnias pro
beneficio reddite. Diſcite liberalitati non detrudere.
Primus eremita vos ut hoſpites habuit, alter ut detra-
ctores pro merito tractavit.

Bern. ſerm.
24. in Cant.

Diſcā cum Bernardo conſigno: *Omniſ qui detrabit,
primū ſeipſum prodit. Vacuum charitate. Deinde quid aliud
detrahendo intendit, niſi ut iſ qui detrabit, veniat in odium vel
contemptum ipſi, apud quos detrabit. Ferit ergo charitatem in
omnibus qui ſe audiunt, lingua maledica, & quantum in ſe eſt,
necat funditus & exterminat.*

Hec quā rari ſunt, qui vitam ſic inſtituant ſuam, ut
non libenter reſpiciant alienam.

CAPVT XVI.

Quantorum malorum mater ſit DETRACTIO,
& de fame reſtitutione.

Levit. 19.
v. 14.

QUā longè Deus ab humano ingenio diverſit! Le-
ge veteri à Deo ſanctum eſt: *Non maledices ſurdo.*
Noſtro ſenſu contrarium fuiſſet imperandum: Non ma-
ledices aurito: quid enim hiſ ceremoniis opus ad ſur-
dum? Enimvero aliter ſapit Deus, quàm humana teme-
ritas. *Surdo*, inquit divina lex, *non maledices.* In hæc legis
verba Gregorius: *Surdo maledicere, ait, eſt abſenti &
non audienti detrudere: quemadmodum ſurdus non
audit quod dicitur, nec in ſe dicta diluere poteſt: ita nec
abſens & iſ, cui detrabitur, quidquam reſpondere, &
falſa minùs quàm ſurdus ſcit reſellere. Hinc igitur ſurdo
non maledicendum. At obſectator, legis iſtius negli-
gens, in abſentis famam audaciſſimè graſſatur; quod ſa-
ne non auderet, ſi præſens eſſet, quem adeo maledicā
linguā perſtingit.*

Greg. in
prologo. 3.
part. paſtoris.
cap. 1. ad mo-
nit. 36.
Quid ſit
ſurdo ma-
ledicere.

De peſtilentiſſimo Detractionis vitio, priore diſſer-
tatione agi captum, atque quid Detractio, quàm ea
multiplex, & quàm grave ſit delictum, jam explicatum
eſt. Nunc porro dicendum, quàm hoc crimen in re-

bus etiam levioribus fugiendum, cum maxima illi ma-
la ſemper ſint conjunctiſſima, præcipue verò alienæ fa-
mæ reſtitutio: quā autem ea difficultis ſit, hic expo-
nemus.

S. I.

SI famulus in hero, ſi civis in vicino, nimiam loquen-
di paritatem obſervet, ita quidem ſi herus famu-
lum, ſi vicinus vicinum nullo amplius affatu dignetur,
ſignum ſatis luculentum eſt amicitia vel gratia non ma-
gnæ. Hæc ratione Pæmenius abbas dicere ſolebat: Cum
duplicis generis cogitationibus nihil loquendum eſt:
tandem illæ à ſeipſis deſinent eſſe moleſtæ. Cum Forni-
cationis & Detractionis cogitationibus nulli ſermones
miſcendi, invitantibus non reſpondendum, multa gar-
rientibus non attendendum: ſin aliter fiat, etiam ſi quis
reſiſtere conetur, damnum non evitabit. Neque ſolum
ea detractio cavenda, quæ directiſſimo aggreſſu Chari-
tatem & Juſticiam impugnatur, ſed illa etiam quæ levio-
res noxas & vitioſitates non maximas, errata non ſum-
ma in lucem eruit. Ejuſ generis detractioſes reperti-
am inter bonæ notæ homines, qui ſubinde impruden-
tes aut inconfiderati, navos alienos benevolis auditori-
bus obtrudunt. Cum veteri poetâ ſentio:

*Iſte eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus:
Vt quaſtus habeant malè loqui de melioribus.*

Er quid miremur? genti humanæ innata eſt alienos
mores cenſendi proclivitas. Nemo non ſecum miniatur-
ulam gerit, ubi ubi liberetur eam appreſſurus. Vitium
eſt hoc & tantò majus, quāto prudentiores aut reli-
gioſiores videri volunt, hi cenſores & Critici. Hierony-
mus cenſuris nos adeo intentos obſervans: *Tanta, in-
quit, huius mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui
procul ab aliis vitiis reſceſſerunt, in iſtud tamen quaſi ex-
trimum diaboli laqueum incidant. Hanc judicandi temerita-
tem comitatur quandoque Invidia, cui agere eſt obla-
tos aliorum ſuccellus: huic ægrimonie minuenda, aliena-
nam famam, quacunque ratione poteſt, vellicat; ſibi
enim invidus tunc levius videtur agrotare, cum & alios
cernit non ex toto ſanos. Invidiam hanc & citiſ non
rarò præcedit occulta ſuperbia, quā quis inſtigante,
præferri aliis, certè vult ex æquari; hinc ne nimium emer-
gant alii, famam illorum ſublimiùs ituram deprimit, &
velut aviculæ accidit alas. Talia igitur colloquia, quibus
hominum proborum defectus recenſentur, gravium
ſæpe offenſionum ſunt ſeminaria. Cum enim quic-
modi errata narratores inveniunt, è facili ſuſpicionem
movenet, ut auditor cogitet: *Itane, ſanctulus ille hoc au-
ſus eſt, utique audebit & majora: hominem ego puta-
bam eſſe tam ſtriſtè continentia: ut video, & ille quo-
que ſuos patitur manes. Sic plurimis fit injuria, eſt non
penitus auferatur fama: bona exiſtimatio certè minui-
tur, amor atque amicitia inter diverſos diſſuitur; abſens
ille, de quo talia ſparguntur, fit deſpiciabilior: ita hoc ne-
gotium non uno malo abſolvitur. Neque hic deſenſio-
ni locus eſt, cum iſ qui patitur, non rarò vulnera ſua
ignoret: aut ſi ſciat, neſciat auctorem. Ita incauti & igna-
ri obruuntur. Præcipue verò delinquitur, cum magi-
ſtratu, eſt culpabili, eſt levioribus in rebus detrabitur.
Ut hic cautus redderet Eccleſiaſtes: *De cogitatione tuā, in-
quit, regi ne detrahas, in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris: vi-
ti, quia & aves cali portabunt vocem tuam, & qui habent
pennas, annuntiabunt ſententiam.* En, non tantum obſo-
ſtruit detractio, ſed ipſas etiam cogitationes arcebat
hæc peſte. Et quamvis, mi obſectator, eum cui in au-
rem garris, enixe roges: *Quæſo te, non evulges, quod
ego tuis auribus credo; arcum cogita taciturnitatis
commiſſum: non tamen à vitio te purgas. Specimen
hoc eſt nobiliſſimæ ſtultitiæ. Dic enim quid illum roges
ut ſileat? teipſum priùs rogare hoc debuiſſes. Si non vis
efferri hæc foras, ne dicas; ſi tu ſilere non poſſis, quomodo
id***